

Accipite, Edite hoc (quod se, accipitis & comeditis) est corpus meum. Item: Bibite ex hoc omnes. Hic est sanguis meus novi Testamenti. - - - Quando itaque Christus dicit. Hoc est corpus meum. subjectum itidem non pro solo pane, sed etiam pro corpore Christi accipitur sive supponit. Ante unionem quidem corpus confuse concipitur, post factam autem prædicati cum subjecto conjunctionem distinctè & determinatè. Sicuti enim in omnibus aliis locutionibus exhibitivis id in prædicato exprimi solet, quod sensibus minus obvium, ac proinde incognitum est, aut ad quod auditorem maximè attendere volumus; ita hic quoque seres habet. Maximoperè igitur falluntur Reformati, quando per: Hoc, panem tantum significari firmiter sibi persuasum habent. Addatur Exe. Wernsdorffius in *Vindictis Sententiæ Orthodoxæ*, quod dissensus inter Socios A. C. & Reform. in *Artic. de Cœna sit fundamentalis Disput. poster. §. XVI.* Et D. Casparus Loscherus *Theol. Thet. p. 237. f.*

§. 8. Idem statuo de subjecto Biblicæ propositionis: *Hic Calix est Novum Testamentum.* Vocabulo enim calicis seu *ποτήριον* (docuit sic quondam B. David Chytræus in *Tractatu de Baptismo & Eucharistia p. 287.*) non tantum poculum (s. materiam & formam vasis potum continentis) sed potum simul intelligi, adeò in omnibus linguis & nostra enim Germanica usitatum est, ut non figuratum & obscurum sed maximè perspicuum & pueris etiam notissimum habeatur, nec solus potus, liquor s. vinum sine poculo in manus sumi à Christo poterit. Quod verò sit illud, quod Christus accipiens calicem, cum benedixisset, discipulis bibendum dedit? Filius Dei aperte & perspicuè & sine ulla ambiguitate determinat & pluribus etiam ac evidentioribus, quam in priorè parte verbis declarat, cum de eo, quod in actione cœnæ suæ, in his terris, in Ecclesia conventio celebrata, externa exhibitione ori (omnium sumentium) bibendum exhibetur, demonstrativè pronunciat: *Hic est sanguis meus, & velut occurreret nostræ ætatis depravationibus; non figuram, Symbolum aut typum, sed verum & naturalem juum sanguinem significari evidentissima declaratione addita testatur, cum inquit: Hic est sanguis Novi Testamenti, qui pro multis s. tota multitudine generis humani effunditur in remissionem peccatorum.* Manifestissimum autem est non typico aut